



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XV. De Frigidis & Maleficiatis & impotentia coeundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

TITULUS XV.

De frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi.

Quest. 236. Impotentia quid & quomplex sit.

Resp. primò: Impotentia, de qua *h. t.* est inhabilitas vel ad generationem prolis, vel ad copulam carnalem; impotentia ad generandum dici solet sterilitas, & esse potest, etsi adsit potentia ad copulam; impotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas fœmineum, effundendumque intra illud semen, si est ex parte viri; vel ad illud recipiendum, si est ex parte fœminæ. Potest hæc impotentia provenire vel ex natura seu ex causa naturali & intrinseca, *V. G.* in viro ex nimia frigiditate, dum ex defectu caloris naturalis semen emittere nequit, aut vas fœmineum penetrare, vel etiam ex nimio calore, naturâ præpropere & citius ad primum nimirum contactum fœminæ semen effundente extra vas muliebri, seu quin illud ad locum debitum perveniat, in fœmina verò ex nimia vasis naturalis arctitudine, adeoque ad recipiendum semen impenetrabilis, vel provenire potest ab extrinseco seu causa extrinseca & accidentaria, *V. G.* ex morbo vel ex maleficio diabolico, quod utriusque sexui commune est, vel ex castigatione, quod viro proprium est.

2. Resp. secundò: Impotentia ad copulam carnalem alia est absoluta comparatione omnium personarum impediens copulam carnalem. Alia respectiva respectu determinatæ personæ tantum, qualis communiter est in maleficiatis, vel respectu aliquarum personarum impedit dictam copulam. Rursus impotentia alia est temporalis, quæ sine peccato aut gravi periculo seu damno corporis citra miraculum per opus humanum, seu ordinatâ, licita naturalia vel etiam spiritalia remedia tolli potest. *c. fraternitatis, h. t.* alia perpetua, quæ arte medica, aut sine miraculo per confueros Ecclesiæ exorcismos, aut sine peccato (quales sunt illicitæ incantationes) aut sine periculo gravi corporis tolli nequit. Hinc itaque illa est impotentia perpetua, quæ solo divino miraculo tolli potest; cum miraculum, utpote quod est præter rerum naturam, expectari nequeat. *Sanch. l. 7. d. 39. num. 8. Gutt. de mat. c. 112. n. 22. Castrop. d. 4. de Spons. p. 14. §. 1. num. 2.* Item quæ sine peccato tolli nequit; quia quod jure non possumus, id absolute non possumus, & sic impotentia non nisi per peccatum tollibilis censetur absolute intollibilis, adeoque perpetua. *Sanch. num. 9. Gutt. num. 23. Castrop. l. c. Laym. l. 5. l. 10. p. 4. c. 11. num. 1.* De cæterò quid intelligatur nomine periculi corporalis, ut exinde impotentia censetur perpetua, dubitatur unde sit.

Quest. 237. An nomine corporalis periculi intelligatur mors ipsa eiusve periculum, vel etiam periculum gravis morbi.

Resp. Intelligi non tantum mortem ipsam, sed & periculum grave mortis, ita ut, non tantum illa sit impotentia perpetua, quæ sine morte tolli nequit, ut voluit Innoc. *in c. fraternitatis, à n. 1. Jo. And. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.*

num. 16. Butrio n. 22. & 23. &c. ed quòd, quæ cum periculo mortis tollitur, personam impotentem superstitem, dici non possit perpetua; cum ipso facto probetur durante vita tolli posse; sed etiam ea, quæ tolli nequit sine gravi periculo mortis; cum tale periculum mortis morti æquivalet; adeoque etiam ea censenda sit perpetua, quæ sine periculo gravis morbi inducentis periculum mortis tolli nequit; non verò ea, quæ tolli nequit sine periculo morbi inducentis solum gravem molestiam & dolorem, *Sanch. n. 18. Gutt. n. 28. Castrop. num. 4. Laym. l. c. cum gl. in c. fraternitatis. v. corporali.* Porrò dum medici dubii sunt, an ex medicamentis & remediis adhibendis ad tollendam impotentiam periculum mortis subsit, illud subesse censendum, ait *Castrop. n. 5. Gutt. n. 27. & Sanch. n. 15.* Atque ex his jam inferunt iidem AA, cum *Paludan. in 4. d. 34. q. 2. a. 2. concl. 2. n. 2.* quòd, si iudicio medicorum impedimentum removeri potest per opus humanum licitum, & pariens renuat curationem, vel etiam non teneatur illam admittere, non censendam impotentiam perpetuam; cum impedimenti hujus perpetuitas non pendeat ex voluntate patientis illud, neque ex eo; quòd tollatur, vel non tollatur; sed ex eo, quòd spectatâ naturâ tolli vel non tolli possit absque vitæ periculo.

Quest. 238. An censenda impotentia perpetua, dum fœmina scit, non posse se absque manifesto suæ aut prolis vitæ periculo concipere.

Resp. Negative cum *Sanch. cit. d. 93. n. 27. & 28. Gutt. n. 17. Castrop. n. 13. Pich. h. t. n. 5. contra Henriq. l. 12. de mat. c. 7. n. 8.* ed quòd hæc impotentia sita sit in eo, quòd fœmina talis licitè vacare non possit copulæ, ad quam de cætero apta est, sitque solum pro tempore, quo apta est conceptio, & evenire possit tempus sterilitatis, quòd licitè potest vacare copulæ, adeoque non sit perpetua. Sed neque ex eo, quòd fœmina talis moraliter, sive sine peccato non possit obligare se ad reddendum debitum pro eo tempore, quo durat illud periculum vitæ ex conceptione subeundum, irritum est matrimonium; cum ad ejus essentiam non requiratur, ut conjuges se obligent ad reddendum debitum pro quovis tempore, sed sufficiat, ut obligent se ad illud, cum legitimum impedimentum abfuerit, ne aliàs affectus morbo, quo impeditur reddere debitum, dicatur habuisse impotentiam perpetuam, & validè contrahere non potuisse; unde etiam illud sequi videtur, ne quidem teneri eam abstinere à matrimonio contrahendo, ut *Pich. n. 5. citans Cönnick. d. 31. de Sacram. du. 7. n. 86.* cum contrahendo matrimonium non aliter se obliget ad reddendum debitum, quam pro tempore, quo illud licitè reddere potest, quamvis tamen sub peccato gravi mulier contractura hunc sui defectum aperire teneatur, de quo infra; quin & licitè reddere eam posse debitum, dum sine periculo vitæ suæ creditur proles edenda mortua, utpote cui per hoc non fiat injuria; cum id fiat præter intentionem conjugum utentium jure suo, *confer Pich. l. c. cum Cönn. n. 85.*

Quest.

Q

Quæst. 239. An & qualis impotentia cocundi perpetua dirimat matrimonium.

REsp. Impotentia perpetua & absoluta habendi veram & perfectam copulam, qualis, ut dictum, in viro est impotentia penetrandi vas femineum, ibidemque effundendi semen de se aptum generationi, in femina impotentia admittendi & recipiendi semen illud, si præcedat, est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum; non vero superveniens illud jam contractum dirimit, constat ex *c. fraternitatis, h. t.* & est sententia communis. Idque jure naturæ, siquidem de essentia matrimonii est, ut conjuges fieri possint una caro; hoc autem fieri nequit, dum absolute & perpetuo inepti sunt ad talem copulam. Item de intrinseca ratione matrimonii est obligatio & traditio corporum ad usum seu copulam conjugalem; ad eam autem se obligare nequit, qui absolute ac perpetuo est impotens eam exercere; cum impossibile nulla sit obligatio, *Reg. 185. ff. de Reg. jur. & nemo tradere possit potestatem rei, quam nullo modo habet. reg. jur. 80. in 6.* unde jam si potens etiam scienter contraxit cum perpetuo impotente, ac dein contrahat cum alia potente, tenet hoc secundum matrimonium; quia prius matrimonium ipso jure nullum erat; etsi obligationem habebat *vi c. consultationi, h. t.* ad cohabitandum priori tanquam forori; quin & habeat & retineat, etiam hoc secundo matrimonio stante, obligationem præstandi priori impotenti alimenta, si cum ea conscienter impotentia contraxit. *Pirh. h. t. n. 9. citatis Abb. in cit. c. consultationi, n. 2. Alex. n. 2. § 3. ex his*

Infertur primò: Quod si vir vas femineum penetrare nequit, tamen si in ejus introitu semen verum effundat, laborat impedimento impotentia dirimente; cum ea feminatio per se non sufficiat, ut fiat una caro, tamen aliquando per accidens virtute naturali matricis pars aliqua seminis attrahatur & intromittatur. Idem est, & ob eandem rationem nequit se obligare ad copulam, si penetrare quidem potest vas femineum, non tamen effundere semen.

Infertur secundò: Spadones seu eunuchos carentes utroque testiculo sive à natura, sive per castrationem, quia esto, vas femineum penetrare possint, non possunt tamen emittere semen verum per se aptum generationi; ut docent *Sanch. l. 7. d. 92. à num. 7. & plurimi apud illum, Gutt. c. 112. num. 7. Laym. l. c. num. 1. Castrop. l. c. Pirh. num. 3.* quin nec satisfacere fini secundario matrimonii, qui est remedium concupiscentia; cum remedium sit finis matrimonii habitum non per quamcunque copulam, sed per copulam suapte naturam aptam ad generationem. *Pirh. jure naturæ incapaces sunt contrahere matrimonium, prout propria Bulla de super edita definivit Sixtus v. anno 1587.*

Infertur tertio: Steriles valide ac licite posse contrahere matrimonium. *Sanch. l. c. à num. 24. Gutt. num. 16. Castrop. num. 3. Pirh. num. 4. cum D. Thom. in 4. d. 34. q. unic. a. 2. & communi ac certa, usu & praxi Ecclesie approbata, contra Jason, consil. 115. n. 1. vol. 1. Felin. in c. cum sit. de foro compet. num. 15. siquidem steriles habere possunt copulam veram, verum semen effundendo, adeoque obtinere finem*

secundarium matrimonii, nempe remedium concupiscentia per veram copulam, *Sanch. l. c. n. 26.* quod autem ex eo generatio evenire nequeat, non est feminis natura, quæ est ejusdem rationis cum feminibus aliorum inferentibus generationem, sed ex speciali qualitate & temperamento subiecti, quod verò matrimonii finis primarius, qui est generatio prolis, frustraretur, est per accidens; quod autem per accidens contingit, non est spectandum, sed quod per se ex illa copula evenire potest.

Infertur quartò: Senes decrepitos, dum natura vel arte medica ad veram copulam excitari possunt, etsi forte semen ab eis profusum per accidens sit infandum, contrahere posse matrimonia, cum *D. Thom. l. c. a. 2. ad 3. & communi, docent Covar. in 4. decret. 2. p. c. 8. §. 2. n. 10. Mantic. de conjest. ult. vol. L. 11. tit. 13. Sanch. l. c. à n. 19. Gutt. n. 13. Castrop. n. 4. Pirh. n. 4. juxta usum Ecclesie nullo senes à conjugio relictis contra Portium in pr. inst. de nupt. col. 4. cujus sententiam probabilem censet Henricus l. 12. de mat. c. 7. n. 3. in comment. lib. X. Et in specie de feminis certissimum esse eas ob senium non esse censendas impotentes ad matrimonium; cum earum frigiditas non impediat feminis virilis receptionem, asserunt *Sylv. v. matrimonium. 8. q. 16. dicto 4. Sanch. n. 22. Gutt. num. 14. Castrop. l. c. Cuchus. l. 3. instr. maj. tit. 12. n. 262.**

Quæst. 240. An igitur etiam senes omnino exhausti, qui iudicio medicorum & arte juvari non possunt ad copulam, habendi sint pro impotentibus, adeoque valide contrahere nequeant matrimonium.

REsp. Affirmative, eò quod illis copula absolute sit impossibilis, adeoque se ad illam obligare non possunt, quæ obligatio est de essentia matrimonii; perinde autem sit, an impotentia ex natura, an ex accidente proveniat, dum ex queunque capite proveniat, reddit subiectum impotens obligari ad copulam, adeoque & ad matrimonium; ita tenent *Abb. h. t. n. 5. Anchor. n. 1. Host. in sum. h. t. in fine. Alex. n. 4. Cuch. n. 257. Sanch. n. 23. Gutt. n. 15. Castrop. n. 5. Laym. cit. c. 11. in fine citans plures alios contra Nav. l. 4. consil. tit. de Sponsal. consil. 39. num. 15. § 18. Rodrig. in sum. Tom. 1. c. 235. concl. 5. n. 5. Butt. in c. 2. h. t. n. 5. & alios plures apud Castrop. censentes illos adhuc capaces matrimonii; quia saltem habitu retinent potentiam seminandi intra vas, de cæterò observandum, quod ex *Sanch. notat Laym. l. c.* marito ob senium simpliciter ac perpetuo impotenti seminare intra vas licet liceant tactus & oscula citra periculum pollutionis, non tamen liceat copula cum dicto periculo, si verò sit spes adhuc aliqua (etsi rarissime contingat) seminandi intra vas, licere conjugibus copulam etiam cum periculo pollutionis,*

Quæst. 241. An infirmus, cujus salus jam desperata, censendus impotens contrahere matrimonium.

REsp. Negative *Covar. l. c. num. 10. Sanch. l. 7. d. 105. n. 3. Ponc. l. 7. c. 65. n. 7. Gutt. c. 11. n. 1. Laym. num. 6. Castrop. n. 6. Pirh. n. 6.* cum communi usu & consuetudine Ecclesie approbata, siquidem moribundus, etsi eo tempore nulla arte juvari possit ad habendam copulam, utpote vi morbi

morbi & defectu virium impeditus, retinet tamen potentiam ad illam, licet in actum exire nequeat. Addit tamen Castrop. quod si vi morbi hæc ipsa quoque potentia destructa esset (quod nunquam præsumitur) eo casu fore illum incapacem celebrandi matrimonii. Confirmantur hæc ex eo, quod tale matrimonium à moribundo contractum cum concubina tanquam verum vim habeat legitimandi prolem ante susceptam, ut contra Bald. in l. eam quam c. de fideicom. n. 27. astruunt Tiraquel. in l. si unquam. v. susceperit. n. 73. c. de revocand. donat. Covar. l. c. Cuch. l. c. n. 138. Sanch. l. 7. d. 206. num. 4. Castrop. n. 7. ubi etiam pluribus, quod hæc, utpote vera & absoluta legitimatio, vim habeat excludendi vocatum sub conditione, si institutus absque liberis legitimis decedat, quando non probatur animo fraudandi substitutum esse contractum matrimonium, pro quo citat Sanch. l. c. n. 7. & 8. & alios.

Quæst. 242. Num hermaphroditus sit impotens contrahendi matrimonium.

Resp. primò, hermaphroditus, hoc est, qui utroque sexu pollet, judicaturque vir vel femina juxta sexum prævalentem l. quaritur. ff. de statu hom. Dum ei constar, quo sexu prævaleat, secundum illum validè & licitè contrahere potest matrimonium, ita ut, si sexu virili prævaleat, possit ducere feminam, si sexu femineo, possit viro copulari. gl. in c. si testis. v. ad testimonium. Sanch. l. 7. d. 106. Gutt. c. 119. n. 1. Castrop. l. c. §. 5. Pirh. h. t. n. 3. si verò ei non constet, quo sexu prævaleat, spectata consuetudine, contrahere nequit matrimonium, quò prius à medicis exploretur, quis sexus prævaleat, & si hi sint dubii, concedi hermaphroditò electionem, secundum quem sexum contrahere velit, electione hac faciendâ coram Judice ecclesiastico, qui ab eo cautionem juratoriam accipere debeat, quòd nunquam altero sexu utetur; & sine qua diligentia præmissa, parochus tali matrimonio assistere non debeat, tradit Castrop. n. 5. citatis Sanch. d. 106. n. 6. Gutt. n. 2. Majolo. de irreg. l. 3. c. 25. n. 16.

2. Resp. secundò: Contrahere eum posse secundum sexum debiliorem negant Sanch. num. 5. Gutt. n. 1. Pirh. h. t. n. 3. E contra, si secundum sexum debiliorem est potens ad coitum, validè, & fortè etiam licitè, eum contrahere posse affirmant. Ponc. l. 7. de impedim. mat. c. 65. n. 8. Hurt. d. 22. diff. 10. n. 35. Castrop. n. 3. eò quòd licet ex sexu fortiore vir aut femina denominetur, absolutè tamen & simpliciter spectato illo sexu debiliore, si secundum illum habet potentiam coeundi, vir est aut mulier, adeoque jure naturæ secundum illum contrahere possit. Sed nec jure positivo invenitur irritum tale matrimonium, quin nec prohibitum, adeoque seclusa consuetudine, etiam licitum. Illud certum esse ait Castrop. num. 4. committere illum adulterium, si contracto secundum unum sexum matrimonio, utatur dein altero sexu, eò quòd nequeat alteri tradere corpus suum in duplîcis sexus usum.

Quæst. 243. Anigitur etiam impotentia perpetua coeundi irritet matrimonium acceptum pro quadam confederatione ad simultaneam cohabitationem obsequiorumque communicationem, & num dicta societas constituat verum matrimonium.

R. P. Lew. Jur. Can. Tomus IV.

Resp. ad primum: Negant hoc ipsum Sanch. l. 7. d. 97. à n. 5. Gutt. c. 114. à num. 1. Castrop. l. c. §. 6. n. 1. Argumento c. consultationi. c. laudabilem. h. t. quamvis iidem dicant istiusmodi matrimonium acceptum pro tali confederatione omnino dissuadendum ob periculum incontinentiæ, intellige quòd ad oscula, tactus & similia.

2. Resp. ad secundum: Nec jure ecclesiastico, nec jure naturæ talis confederatio impotentium coire est verum matrimonium. S. Bonavent. in 4. d. 34. a. 2. q. 1. Nav. c. 22. num. 60. Sanch. l. 7. d. 97. n. 2. referens plures Gutt. l. c. Vasq. p. 3. d. 125. c. 7. Castrop. n. 3. & alii apud illum contra Ponc. l. 7. de mat. c. 56. & alios, quibus favere videtur. D. Thom. in 4. d. 34. q. 1. a. 2. ad 4. & p. 3. q. 29. a. 2. matrimonium enim primò ac per se institutum ad honestam generis humani propagationem per animorum corporumque conjunctionem; impotentes autem ad coeundum non possunt sibi invicem tradere corporum suorum dominium ad dictam propagationem, etsi obligare se possint ad mutuam illam cohabitationem & mutuo obsequiorum delationem. Et licet dominium rei ab ejus usu distinguatur, nequit tamen tradi dominium, quin tradatur jus & potestas re illa utendi, tametsi ex alio capite contingat potestatem illam ligari & usum impediti at talem potestatem sibi invicem tradere nequeunt tales impotentes. Sed neque obstat c. consultationi & laudabilem; quin potius faciunt pro respons. quia ibi absque ulla distinctione matrimonii ad copulam, & matrimonii ad castè convivendum, deciditur stante impotentia, conjugem haberi non posse ut uxorem; uti etiam in motu proprio Sixti V. definitis impotentes ineptos esse ad contrahendum matrimonium.

Quæst. 244. An & qualiter impotentia perpetua respectiva sit impedimentum contrahendi matrimonii.

Resp. Esse impedimentum dirimens matrimonii contrahendi cum ea persona, respectu cujus est; idque sive proveniat ex natura, sive à maleficio. Sanch. l. c. d. 93. à n. 2. Gutt. c. 112. n. 19. Ponc. l. 7. c. 61. per tot. Laym. cit. c. 11. à n. 1. Castrop. l. c. §. 3. Pirh. h. t. n. 10. matrimonium, siquidem essentialiter continet obligationem, ut conjuges fiant una caro, quam obligationem subire nequeunt respectu illius personæ, cum qua copulam habere nequeunt, etsi ea respectu aliarum est eis possibilis; respicit enim matrimonium personam determinatam & individuum; adeoque si respectu illius copula sit impossibilis, nihil juvat, quòd respectu aliarum sit possibilis. Et quidem de impotentia proveniente ex natura est textus expressus, in c. fraternitatis h. t. de proveniente ex maleficio probat textus, c. fin. 33. q. 1. & dari impotentiam perpetuam ex maleficio, verissimam sententiam ait Castrop. n. 3. citans D. Thom. in 4. d. 34. q. unic. a. 3. in corp. Sanch. d. 94. à n. 8. Gutt. c. 113. Ponc. l. c. c. 65. num. 6. Sc. contra quosdam cum gl. in cit. c. fin. & c. fraternitatis sentientes contrarium; eò quòd teste experientia reddi possit sic impotens ex maleficio conjug, ac si frigidus ex natura esset; quia maleficio non minus destrui potest potentia generativa, nullâ humanâ industriâ reparabilis, vel etiam si non destructa, ita tamen ligata & impedita maleficio esse potest, ut hoc impedimentum ordinariis Ecclesiæ exorcismis aliove modo licito tolli

tolli nequeat; eò quod author maleficii, etsi aliàs remove re possit signa malefica animo destruendi pactum cum dæmone, sit mortuus, nec sit alius, qui ea remove re sciat licitè; unde jam sequitur, quòd si impotens etiam hac impotentia respectivà dein per miraculum sanetur, matrimonium prius contractum ab eo fuisse ac remanere nullum, nisi per novum consensum revalidetur; scus verò esse, si redditus per maleficium impotens, dein sanetur conductis Ecclesiæ exorcismis; cum hoc ipso tunc appareat impotentiam fuisse temporalem, & consequenter matrimonium ab initio validum Pirh. n. 12. Laym. cit. c. 11. num. 2. Porro signum esse oriri hanc impotentiam, non à natura, sed à maleficio, Castrop. n. 3. ait, esse ex parte viri, si sentiat genitalia quandoque erigi, nocte vel etiam in vigilia patiat pollutionem, & cum faminæ appropinquet, concidere; cum ex frigiditate impotens his motibus non agitur, ex parte faminæ verò, si nimis horreat virum volentem sibi copulari, nulloque modo pertrahi possit, cum tamen circa alios moveatur vel excite tur; vel etiam respectu hujus nimis arcta reddatur, cum tamen respectu aliorum similem non sit nimis arcta.

Quæst. 245. An & qualiter impotentia temporalis irritet matrimonium.

Resp. Impotentia hæc non impedit matrimonium contrahendum, D. Thom. l. c. communiter receptus Laym. l. c. n. 1. Sanch. d. 92. num. 4. Gutt. c. 235. num. 1. Castrop. §. 2. num. 8. & c. siquidem impotens ad tempus est absolute potens, adeoque potest se absolute obligare ad copulam, quemadmodum etsi perpetuo inhabilis ad solvendum, inhabilis quoque est ad promittendum; qui tamen in præsentem non est solvendo, obligare se potest ad solvendum, si spes sit fore in futurum solvendo. Illud tamen rectè monent Castrop. n. 8. Sanch. n. 5. Gutt. c. 112. num. 4. consilium suæ impotentia diu duraturæ peccatorum mortaliter, si contrahens matrimonium illam non manifestet conjugii, ob gravem injuriam, quam ei inferit privando illam usu conjugali.

Quæst. 246. An & qualiter impotentia perpetua superveniens matrimonio illud dirimat aut usum illius impediatur.

1. **R**esp. ad primum: Non dissolvit ea matrimonium, etsi ratum tantum; quia illud sola professione est dissolubile, Sanch. l. 7. d. 102. an. 13. Gutt. c. 116. n. 1. Castrop. §. 2. n. 10. cum communi contra Gratian. & quosdam alios Arg. c. si qui 32. q. 7. c. si uxor. 32. q. 5.

2. **R**esp. ad secundum: Impotentia effundendi verum semen, ut si vir utroque teste orbetur, superveniens matrimonio non impedit petitionem & redditionem debiti; cum id per accidens contingat, quòd veram conjugalem copulam effundendo verum semen habere non possit, Castrop. l. c. n. 11. citato Tolet. in sum. l. 7. c. 12. n. 4. si verò sit impotentia feminandi intra vas ob imbecillitatem viri vel faminæ arctitudinem aliamvè causam, non prohibentur conjugibus tactus, oscula, amplexus citra pollutionis periculum, Castrop. l. c. cum communi; quin nec copula, dum certi non sunt, semen extra vas effundendum, unde & quoties est spes aliqua intra vas seminandi, toties poterunt ad copulam conari, etsi videant sæpe semen extra vas effundi; cum procurent rem licitam, nempe copulam conjugalem, quam credunt sibi possibilem, Sanch. l. 9. d. 17. n. 20. Nav. c. 22. n. 60. Castrop. cit. n. 11. Laym.

c. 11. n. 4. citatis pluribus. arg. c. laudabilem. h. 1. ubi trienniū conceditur ad experiendum potentiam; quòd si impotentia non sit copulæ, sed generationis; eò quòd mulieri constet, se semper fetus mortuos edere, vel se manifesto exponi periculo concipiendo ex judicio medicorum, non tenetur reddere debitum, cum tam gravi sui prolisique detrimento, licet tamen id petere & reddere, cum ad vitandum periculum incontinentiæ & animæ licitè subire possit periculum corporis, maxime dum hoc periculum non ita certum est, prolem nimirum ex copula non suscipiendam vel matrem in partu periclitaturam, Castrop. num. 12. citatis Sanch. l. 7. d. 102. n. 8. & 10. Cöninck. d. 31. du. 7. n. 87.

Quæst. 247. Num femina nupta, cujus arctitudini ex Medicorum judicio subveniri potest absque gravi periculo, ut apta viri congressui reddatur, teneatur pati scissuram.

1. **R**esp. primò: femina quæ nullam præcæteris fæminis arctitudinem habet, ut à viro cognoscatur; præter claustrum seu pudorem virgineum non tenetur pati scissuram, Castrop. ir. 28. d. 4. p. 14. §. 1. n. 8. citatis Pet. Ledesm. tr. de mat. q. 58. a. 1. circa finem. Hurt. d. 22. diff. 7. Ponc. l. 6. de imped. c. 62. à num. 2. contra Sanch. & alios apud illum, censentes fæminam, sive præ aliis arcta sit, sive non, obligatam esse scissuram pati, quando absque periculo gravis infirmitatis fieri potest, tametsi non absque gravi molestia & dolore; quia hic sustinendus videtur, ut obligationi conjugali satisfiat. Verùm ratio responsionis est, quòd conjux in matrimonium corpus suum tradidit alteri ad usum conjugalem, prout à natura destinatum; at natura non destinavit apertionem claustrum virginalem in ordine ad usum conjugalem fieri debere alio modo, quam pudendo viri, quinimo omnem alium modum utpote extraordinarium naturæ abhorret; ergo eo uti non tenetur.

2. **R**esp. secundò: Fæmina præcæteris arcta, si hujus arctitudinis conscia contraxit cum viro illius ignoro, tenetur pati scissuram, si absque gravi salutis suæ incommodo eam sustinere potest; eò quòd virum deceptor non manifestando illam difficultatem, quam is præsumere non tenebatur; adeoque teneatur medicamenta adhibere, quæ virgineum claustrum disponant efficiantque æquè aptum congressui, ac est claustrum aliarum fæminarum, Castrop. n. 8. cum communi; quamvis is faceatur, obligationem illam raro contingere posse; eò quòd vix evenire possit, fæminam scire, se præ aliis arctam esse, eamque arctitudinem à viro superari non posse; adeoque censeat eam raro aut nunquam obligandam ad eam scissuram admittendam, & nullam esse hujus remedii obligationem ex eo confirmat, quòd jura non statuant in libris subortis de impotentia, virgineum claustrum aliquo artificio referari debere; sed solum triennale cohabitationem concedunt. Illud n. 10. pro certo habet cum Sanch. d. 93. n. 39. fæminam non esse obligatam pati hanc scissuram, inconsultis Medicis à marito tentante eam præstare digitis aliove instrumento; & posse propterea fugere ejus consortium, donec hujus violentiæ securitatem præstet; eò quòd datum non sit viro partem virginalem alio instrumento quam suo pudendo aperire, maxime, cum ex hac referatione fæmina pati possit non leve damnum salutis, sitque periculum, ut facta referatione, adhuc viro commisceri nequeat.

Quæst.

Quaest. 248. An femina, quae ob ar-
bitudinem cognosci non potuit à vi-
ro, ideoque ab eo separata fuit, sit
eidem nec frigiditate, nec maleficio
laboranti reddenda, postquam ex-
perientiâ probatum fuit, eam ab
alio cognitam.

Resp. Quamvis id absolute affirmant Innoc. in
c. fraternitati. h. t. à n. 1. Host. ibidem n. 7.
Alex. n. 99. melius tamen dicunt Abb. in *cit. c. n.*
2. & 3. Gl. *ibid. v. simili. Sanch. d. 93. n. 13. Gutt.*
c. 112. n. 26. Castrop. cit. §. 1. n. 12. & c. attentè
prius examinandum & inspiciendum, num alter vir
fuerit priori omnino similis ætate, robore, ac mem-
bro virili, quæ similitudo universalis si deprehen-
datur, præsumendum, potuisse à priore viro co-
gnosci, adeoque ei reddendam, juxta *cit. c. fraterni-*
titati.

Quaest. 249. Qualiter impotentia du-
bia sit impedimentum matrimonii
contracti, vel saltem usus illius.

1. Resp. primò: Tameis dubius de impotentia
sua peccat mortaliter contrahendo matrimo-
nium. Sanch. *L. 7. d. 103. in fine. Gutt. c. 116. n.*
3. Castrop. *cit. p. 14. §. 7. n. 1.* tam ob gravem in-
juriam per hoc irrogatam alteri conjugi potens i-
gnoranti illam illius impotentiam dubiam. Tum ob
irreverentiam irrogatam Sacramento matrimonii,
exponendo illud periculo nullitatis, postquam ta-
mentali dubio stante contraxit, petere & reddere
potest debitum, ut constat Ecclesiae, num validè
an invalidè contraxerit. Castrop. n. 2. & si intra
triennium, quod conceditur ad explorandam im-
potentiam, matrimonium consummare non potue-
rit, separandus est; quia præsumitur contraxisse
invalidè; nempe cum impotentia perpetua.

2. Resp. secundò: Dum dubitatur, num matri-
monium consummaverit, & re diligenter exami-
nata, dubium illud vinci non potest, judicandum
est pro valore matrimonii; cum quilibet præsumat-
ur potens, quamdiu non probatur impotens. Sanch.
n. 3. Castrop. n. 3.

3. Resp. tertio: Dum constat de impotentia,
dubitaturque solum, an præcesserit matrimonium,
si sit à natura, judicandum esse eam præcessisse ma-
trimonium, adeoque contractum nulliter; cum
quæ à natura sunt, sint perpetua, præsumendum
eam impotentiam fuisse semper, docent à fortiore
Malcard. *de prob. conl. 816. n. 19. Henriq. L. 12.*
c. 8. n. 3. Host. in c. fraternitati. h. t. n. 4. ibique
communiter alii. Si est accidentalis, sive ex ma-
leficio, sive ex morbo, vel per industriam huma-
nam, puta, per abscissionem membri proveniat,
præsumi adhuc debere præcessisse matrimonium
teneat iidem; eò quòd licet impotentia accidenta-
lis præsumi non debeat, nisi fuerit probata, si tamen
constet eam adesse, & tantum dubitatur, num præ-
cesserit matrimonium, expedit præsumptionem
fieri, quæ conjugibus, proli, matrimonio favora-
bilior; hic autem favorabilis sit, præsumi præ-
cessisse matrimonium; quia conjux potens potest in-
ite aliud matrimonium, prolem generare, & evi-
tare periculum accedendi ad non suam. Castrop. ta-
men n. 5. citans pro se Butt. in *c. fraternitati. n.*
20. censet præsumendum esse, quamcunque impo-
tentiam subsecutam esse matrimonium, eò quòd,
dum quilibet debeat præsumi à natura potens, præ-

sumi quoque debeat, illam impotentiam ante ma-
trimonium non fuisse, adeòque id asserenti incumbat
onus probandi, quòd ubi facere non potest, ju-
dicandum matrimonium validè contractum. Atque
ita conjux potens jure optimo præsumere possit ac
debeat, se accedere ad suam. Limitat tamen sen-
tentiam suam Castrop. n. 6. ita ut, si illico, ac
matrimonium contractum, constet de impotentia,
ea censenda præcessisse matrimonium; cum quis
præsumi non debeat, tam brevi tempore ab uno ad
aliud extremum transisse. Citat pro hoc Sanch.
& Gutt. *ll. cit.*

4. Resp. quartò: Dum dubitatur, an impo-
tentia naturalis vel accidentalis, præsumendum sem-
per esse accidentalem, quamdiu non probatur con-
trarium; eò quòd præsumi non debeat defe-
cisse naturam, censent Sanch. Gutt. *ll. cit.* Ca-
strop. n. 7.

Quaest. 250. An & à quo tempore po-
tens reclamare possit conjugem im-
potentem, & audiendus sit.

1. Resp. primò: Mulier statim, hoc est, post
mentem vel intra bimestre à contracto matri-
monio reclamans, allegando viri impotentiam,
audienda est, etsi vir neget. Sanch. *L. 7. d. 109. n.*
16. Pirh. *h. t. n. 14.* juxta *c. 1. h. t.* elapso verò bi-
mestri à contracto matrimonio alleganti mariti im-
potentiam deneganda est audientia (intellige, non
absolute & pro semper, sed quousque transierit tri-
mestris) quia tam serè reclamans, cum ut ait Papa
c. 1. h. t. citò & in parvo tempore scire potuit, si vir
cum ea coire non potuisset, præsumitur dicere non
verum. *cit. c. 1. h. t. Abb. ibid. n. 5. Alex. n. 7. Sanch.*
n. 2. Pirh. l. c. Castrop. §. 1. n. 2. nisi se offerat ad pro-
bandam impotentiam per signa certa & evidèntia,
vel verosimiliter evidèntia, tunc enim statim non
expectato triennio audienda; cum jam cesserit falsi-
tatis præsumptio, cui decisio illa Papæ innitebatur.
Sanch. n. 5. Castrop. *l. c. Gutt. c. 120. n. 20.* Porro
bimestre illud computandum à die illo, quo vir post
contractum matrimonium copulam intentavit. Buttio
inc. laudabilem. h. t. n. 10. Alex. n. 10. Host. in
princ. Sanch. n. 4. Gutt. n. 19. Castrop. l. c. Arg.
c. accepisti. h. t. ubi Papa suæ reclamanti denegatæ
audientiae dat rationem, quòd citò scire potuisset,
an vir secum coire potuisset, quòd nullo modo scire
potuisset, nisi vir copulam intentasset.

2. Resp. secundò: Transacto autem triennio
non conceditur mulieri audientia, tameis per signa
dubia probare nitatur impotentiam. Castrop. *l. c.*
Sanch. n. 14. Gutt. n. 27. juxta *c. fraternitati. & c.*
fin. h. t.

Quaest. 251. An & qualiter impotens re-
clamare possit.

1. Resp. primò: Quemadmodum potens lici-
tum est reclamare contra impotentem conju-
gem; cum ejus maxime interfit, non esse alliga-
tum impotenti; ita etiam impotens, si suam impo-
tentiam tempore contractus ignoravit, reclamare
poterit, ne cogatur onera matrimonii sustinere, &
uxorem alere. Castrop. n. 3. Arg. *c. 1. h. t.* ubi vir
suam frigiditatem allegavit. Quinimò tenebatur
reclamare, si periculum incontinentiæ, nisi disso-
lutionem matrimonii procurer, intercurrat; eò
quòd staute illo periculo non possit jam cum conju-
ge habitare, eamque ut sororem habere.

2. Resp. secundò: Quòd si tempore matrimonii
contracti consensus fuit suæ impotentiae, non posse
eum procurare separationem, potente renitente;

quia ratione deceptionis & irrogatæ injuriæ potenti, videtur obligatus ad onera matrimonii sustinenda, tradunt Castrop. n. 3. Gutt. c. 121. n. 13. Sanch. d. 114. Sylv. v. matrimonium. 8. q. 16. dicto 1.

Quæst. 252. An & qualiter, & à quo die computandum requiratur triennium ad explorandam impotentiam.

1. **R**esp. primò: Non tantùm, dum de impedimento frigiditatis aut alterius impotentiae constat clarè per signa certa & evidentia, ut quia vir habet membrum sectum carens testiculis, vel omnino aridum, non valens assurgere ad coitum; sed etiam quando demonstratur per verisimilia alia signa præstantiæ moralem certitudinem, quæ in humanis æquivaler evidentiæ, & quæ sufficit, ut constare quid dicatur, non requiritur triennium cohabitationis ad explorandam impotentiam præscriptum in c. laudabilem. h. t. sed statim separari possunt, & matrimonium declarari nullum. Castrop. tr. 28. d. 4. p. 14. §. 9. n. 3. & 4. Gutt. c. 120. n. 4. Ponc. L. 7. c. 66. n. 2. & 6. Sanch. L. 7. d. 107. n. 4. Pirh. h. t. n. 16. juxta c. 1. h. t. Proceditque ad ipsum, dum unus conjugum citius, alter tardius reclamatur. Sanch. l. c. sed neque in eo casu requiritur juramentum conjugum, & insuper septimum manus propinquorum, hoc est juramentum septem testium propinquorum ex parte cujuslibet conjugis, aut iis deficientibus, septem vicinorum testantium se credere, conjuges verum dicere, & præterea inspectionem conjugis factam à medicis vel matronis, quorum omnium testimonia convenientia, tradit Castrop. n. 5. citato Hurt. d. 22. de matr. diff. 11. n. 28. contra Sanch. Gutt. Ponc. ll. cit. item contra Butrio in c. laudabilem. h. t. n. 14. & Alex. ibid. n. 17. eò quòd nec illæ nec aliæ probationes jure naturæ requiri possint, dum de veritate impotentiae moraliter certum est, & dictum juramentum, dictaque inspectio requiratur in casu dubio, & post triennem cohabitationem, ut constat ex c. laudabilem.

2. Resp. secundò: Cum verò non constat de impotentia, eaque probari non potest per signa urgentia & certa, sed ea remanet dubia, requiritur post delatum illis dictum juramentum (quamvis ex parte negantis impotentiam nulli testes requirantur, ut Jo-And. Anchar. in c. laudabilem in princ. Sanch. L. 7. d. 109. n. 13. Castrop. n. 6.) triennalis cohabitationis conjugum juxta expressum textum c. laudabilem. ut copulæ vacent, ut cum communi Rota apud Farin. p. 1. decis. 695. & vel maximè, dum impotentia creditur ex maleficio; quia decursu temporis, instantiâ orationis, aliisque remediis fortè removenda. Sanch. Castrop. ll. cit. Gutt. c. 120. n. 7. Anchar. in c. laudabilem. n. 1. & c. Procedunt hæc, nisi uterque fateatur impotentiam, Gl. in c. laudabilem. v. uterque. Abb. ibid. in fine. Mascard. de prob. tom. 1. concl. 311. v. coitus. n. 4. Gutt. n. 20. Ponc. cit. c. 66. n. 4. Castrop. l. c. §. 9. n. 9. Sanch. L. 7. d. 108. n. 5. citatis aliis contra Sylv. Angel. Rosell. & alios docentes, in eo casu non requiritur triennium, sed aliud tempus arbitratium duorum vel trium mensium, vel ad summum unius anni, quo elapso, & accedente juramento conjugum, & septimæ manus propinquorum absque omni alia diligentia matrimonium dissolvendum. Verùm ratio in contrarium est; quòd præterquam ex Confessione utriusque conjugis, etiam aliàs fide dignorum adhuc constare non possit, num impotentia naturalis & perpetua, an verò accidentalis & temporanea; adeoque ad hoc, ut melius veritas appareat, expectari debet per triennium, Sanch. d. 108. n. 5. & ma-

riti & uxoris asserentium impedimentum Confessione non statuitur contra valorem matrimonii; cum hujus dissolutio non dependeat ex voluntate contrahentium) etsi ei stetur, dum confitentur pro valore matrimonii sui, juxta c. 2. de clandest. despons. Sed alia probatio requiritur, ut separatio fieri possit. Alex. in c. 1. h. t. n. 3. Pirh. n. 14. Ad hæc, ut Castrop. si dum unus conjugum asserit, & alter negat impotentiam, assignatur triennium, id potius assignari debet, dum uterque confitentur; cum hic casus graviore periculo deceptionis sit expositus, timentique possit utriusque conjugis collusio ob voluntatem à conjugio recedendi. Quòd si verò elapso triennio adhuc veritas cognosci non potuerit, regulariter standum pro matrimonio, utpote cujus causa est favorabilis, & pro quo est possessio. Sanch. d. 109. n. 15. Alex. in c. laud. n. 17. Castrop. n. 7. ubi etiam ex Sanch. & Mascard. de prob. concl. 312. n. 29. procederet id efficacius, dum mulier dicit se à viro cognitam; eò quòd tunc ei potius credendum; quia non præsumitur velle habitare cum impotente. Si verò id neget, opus est inspectione. Sanch. l. c. n. 6. Gutt. c. 120. n. 21. Castrop. n. 7. & licet hæc probatio permittenda non sit, dum alia haberi potest. At alii deficientibus permitti debet, & ratione necessitatis honestatur, licet etiam deceptioni obnoxia; id enim solum probat, non esse probationem concludentem, non tamen probat non esse verisimilem, & satis probabilem. Exacto autem experientiae triennio, conjuges quovis tempore reclamare contra impotentiam alterius possunt, & matrimonium dissolvi, si vel ambo fateantur impotentiam, vel adsint probationes moraliter evidentes. Krimer, de matr. n. 1354. juxta c. fin. h. t. ubi post octo annos muliere reclamante, & viro consentiente se respectu illius impotentem, postquam idem juramento confirmarunt, & post inspectionem matronæ fide dignæ de hoc justificatæ, id deciditur.

3. Resp. tertio: Triennium hoc continuum esse debet, juxta quod dicitur c. fin. h. t. ubi: *Intra predictos octo annos continuum triennium in simul habitasse.* Et si interpolatum fuit, supplendum est. Jo-And. in cit. c. fin. n. 9. Mascard. de prob. concl. 889. n. 8. Sanch. L. 7. d. 111. n. 5. Gutt. c. 121. n. 8. Castrop. §. 10. n. 5. Continuatio autem hæc, cum non requiratur, ut sit mathematica, sed sufficiat, ut sit moralis & civilis, non censetur interpolata, ita ut suppletione egeat, quòd conjuges uno alterove mense ob negotia occurrentia, & hinc ortam absentiam separarim vixerint. Ita probabilis Masc. cit. n. 8. & 9. Sanch. à n. 3. Gutt. n. 7. & 8. Ponc. L. 7. c. 66. in fin. Castrop. l. c. contra Henric. l. 12. c. 7. n. 2. Sylv. & alios, censentes non nimis eam interpolari, si maxima parte anni cohabitent. exemplo scholarium, qui, si majore parte anni commorentur in universitatibus, censentur commorati toto anno. Item contra alios nimis strictè censentes, si etiam paucis diebus separati vixerint, interpolari dictam continuationem

4. Resp. quarto: Non tantùm, dum impotentia creditur esse ex maleficio ut Euch. l. 5. inst. maj. rit. 12. n. 267. Anchar. in c. fin. h. t. n. 9. neque solum in impedimento frigiditatis, ut Brunel. de sponsal. concl. 18. declarat. 4. n. 10. & 14. Henric. & c. Sed undecunque oriatur impotentia, quamvis maximè, dum ea oritur ex frigiditate, computandum triennium à die copulæ intentatæ; non obstante, quòd textus cit. c. fin. dicat: à tempore celebrati conjugii cohabitent per triennium & c. supplendum enim & addendum: *Et copulæ intentatæ*; cum triennium concedatur ad explorandam impotentiam, quæ aliter explorari nequit.

nequit, Pith. n. 26. in fin. quia verò præsumitur vehementer conjuges vacasse copulæ die, quo sibi cohabitavit lecto, ab eo die cohabitationis computandum dictum triennium, volunt Castrop. n. 3. Sanch. L. 7. d. 110. n. 4. & 5. Gutt. n. 3. cum Abb. in d. c. fin. Et hæc quidem spectato juris rigore; nam spectatâ consuetudine, styloque Curia Romanæ triennium illud computandum à decreto Judicis, tradunt Ponc. Castrop. ll. cit. & apud hunc Riccius in pr. decis. 239. n. 1. Farinac. vol. 1. consil. decis. 27. & 277. qui etiam testatur sic sæpe tenuisse rotam. Quod si ante decretum illud Judicis jam præcessit triennalis cohabitatio, arbitrio Judicis relinqui abbreviationem triennii justis ex causis, tradunt AA. iidem.

Quest. 253. An & quale juramentum requiratur ultra triennium.

Resp. Ultra triennium reperitur juramentum utriusque conjugum fatentium impotentiam, & jurare debet vir se bona fide & absque dolo copulam intentasse, nec consummare potuisse; mulier verò jurare debet, per se non stetit, quin copula consummaretur. Insuper accedere debent septem propinqui, vel his deficientibus septem vicini bonæ famæ. c. laudabilem. ex his quoque deficientibus alii testes omni exceptione majores, ut Sanch. d. 108. n. 13. Gutt. c. 130. n. 11. Castrop. n. 11. quin & si tot testes haberi nequeant sufficere pauciores arbitrio Judicis, ut Sanch. d. 108. n. 12. Masc. concl. 889. n. 9. Castrop. l. c. Porro hoc juramentum spectato jure communi. c. laudabilem, fieri debere talibus Evangelicis, consuetudine verò præscriptum esse, ut fiat super cruce, ait Castrop. l. c. Sanch. n. 14. Gutt. n. 12. Esse autem dictum juramentum ita necessarium, ut eo deficienti sententia lata pro dissolutione matrimonii sit nulla, tradunt Sanch. n. 6. Ponc. n. 5. Gutt. n. 9. Arg. c. laudabilem. de cetero præter juramentum opus non esse inspectione, dum uterque conjugum fatetur impotentiam, tradunt iidem; cum ea diligentia in hoc casu non requiratur, cit. c. laudabilem.

Quest. 254. Matrona facturæ inspectionem quot & quales esse debeant.

1. Resp. ad primum: Matronas depositaras de virginitate aut etiam de impedimento arctitudinis sufficit esse tres vel duas; cum sine expresso textu vel fundamento recedendum non sit à communi regula: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum; c. in omni negotio. de testib. Castrop. §. 10. n. 7. Quin etiam Masc. concl. 1174. n. 21. putat, si in oppido sit una matrona tantum, & hæc satis perita, sufficere ejus testimonium. Quod ipsum probabile reputat Sanch. L. 7. d. 113. n. 17. Nec obstat c. proposuisti. de prob. ubi dicitur: Juramento puellæ testimonio septemillarum mulierum esse potius fidem adhibendam. Nam ibi narratur factum, non autem dicitur necessarium id esse ad attestationem. Castrop. cit. n. 7.

2. Resp. ad secundum: Cum testimonio tali subesse possit deceptio, dum ut D. August. L. 1. de civit. Dei. c. 18. D. Ambros. L. 6. epist. ad Synes. Episc. Veron. Fornicæ corruptæ sæpe se virgines fingant, & fingere possint, debent esse matronæ illæ istiusmodi rerum peritæ, testarique debent juxta artis propriæ peritiam, hoc est, quantum ex propria arte & notitia conjicere possunt esse virginem, aut non habere arctitudinis impedimentum. Item debent esse honestæ, providæ, & prudentes, prout constant ex c. fraternit. c. fin. h. r. Porro ut legitime

testari queant, debent illas non tantum inspicere, sed & contrectare manibus virginem, ait Castrop. n. 8. Arg. c. penult. de prob. ubi: Sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum. quin & præter has diligentias alias facere posse Judicem, dum hæc ei visæ non sufficientes, v. g. posse vocare medicos; ut & eorum testimonio constet de impedimento arctitudinis; cum in re tam gravi, qualis est dissolutio matrimonii, & digressio ad aliud, nulla diligentia superflua censenda sit, cum Sanch. l. c. n. 28. notat Castrop. n. 8.

Quest. 255. An & qualiter conjux propria auctoritate recedens ob impotentiam sit restituenda.

Resp. Restituendam esse, nisi in continente probationes certas & evidentes afferat impotentia, quibus, non restitutio, sed matrimonii irriti declaratio facienda. Seclusa verò evidente probatione, recedens est restituendus, antequam quicquam de valore matrimonii audiat aut decidatur; & quidem non tantum ad mutuam cohabitationem, ut vult Sanch. d. 112. n. 8. sed & ut copulæ valent, ut vult Castrop. §. 11. n. 2. Arg. c. ex parte. de rest. spol. eò quod conjuges vi matrimonii contracti possideant jus ad invicem, ad cohabitationem, mutuum obsequiorum præstationem & debiti petiti redditionem, quo jure alterum spolians ante omnia cogendus sit spoliato restitutionem præstare. Limitatur responsio, ita ut si elapso termino ob impotentiam alterius recedat conjux, non statim sit restituendus, sed admittenda prius ejus de impotentia exceptio. Sanch. d. 112. n. 12. Castrop. n. 3. Quod si verò recedat ante triennium experientia, fortius procedat responsio, & nullius momenti sit allegatio impotentia; iidem AA. ll. cit.

Quest. 256. An & in quibus casibus dissoluto matrimonio ob impotentiam restituendi sint sibi conjuges.

1. Resp. Separatus ob frigiditatem, si de facto aliud matrimonium inire, statim separandus, utpote jam judicatus incapax ad contrahendum matrimonium. Si verò secundum matrimonium consummavit, aut aliam familiam fornicariè cognovit, restituendus est priori conjugii viventi; quia jam constat falsò impotentiam allegasse. Quin & defuncta jam priore conjugio, ab illis secundis nuptiis separandus est; quia nisi potentem se probaverit, & Ecclesiam deceptam, stat contra illum præsumptio impotentia, adeoque incapacitatis contrahendi matrimonii. Ita ferè Castrop. tr. 28. d. 4. p. 14. §. 12. n. 1. citatis Sanch. L. 7. d. 99. à n. 4. Gutt. c. 115. à n. 1. Ponc. L. 7. c. 64.

2. Resp. secundò: Fœmina separata ab arctitudinem absolutam, seu respectu cujuslibet viri, si ineat aliud matrimonium, restituenda priori viro. Si verò separata ob arctitudinem respectivam, seu respectu prioris viri (uti regulariter contingit) non statim separanda à secundo viro & priori reddenda (et si non levis adsit præsumptio nullitatis secundi conjugii) sed examinandum, an secundus vir sit priori omnino similis, Sanch. n. 15. Gutt. n. 4. Castrop. n. 2.

3. Resp. tertio: Dissoluto matrimonio ob impotentiam à maleficio provenientem elapso triennio experientia aliisque probationibus à jure requisitis adhibitis, nulla facienda restitutio, dum maleficus aliud matrimonium inire, illudque consummavit; cum satis commune sit aliquem esse maleficium respectu unius, & non respectu alterius. Castrop. n. 3. dicens sic videri decisum. c. fin. 33. q. 1. & apud hunc Sanch. d. 65. n. 6. referens alios.

4. Resp

4. Resp. quartò: Dissoluto matrimonio ob viri impotentiam in genere absque expressione causæ specialis (quod facere Judex non debet, ut Castrop. l. c. n. 4.) si vir ineat aliud matrimonium, statim separandus est, utpote absolute judicatus impotens. Mulier verò, si alteri nubat, separari non debet, priusquam investigetur causa impotentia, ob quam prius matrimonium dissolutum, nimirum dum causa hæc in sententia dissolutionis expressa non est, ex actis prioris processûs, & ex causis, quas testes & matronæ reddiderunt, stat siquidem possessio pro secundo illo conjugio. Sanch. l. 7. d. 99. a. n. 27. Gutt. c. 115. n. 9. Ponc. l. 7. c. 64. n. 4. Castrop. n. 4.

5. Resp. quintò: Conjuges redditi ad prius conjugium, posteriore dissoluto ob errorem deprehensum, si intra triennium habere non potuerunt copulam, omnino separari debent, & ad secundum conjugium reddendi; quia convincitur, fuisse impotentiam respectivam quò ad prius matrimonium, Sanch. n. 34. Castrop. n. 6. Si autem interea, quò restaurandum prius matrimonium, alter sit professus, nulla facienda restitutio; cum per professionem dissolutum matrimonium prius ratum tantum. Secus est, si transtulerit ad SS. Ordines, reddendus enim tunc esset uxori id petenti; cum per sacrum ordinem non dissolvatur matrimonium. Sanch. n. 39. Conjuges verò ante hanc professionem ad secundum matrimonium transiens separanda; quia nulliter contraxit. Sanch. Castrop. ll. cit.

Quest. 257. An & qualiter sententia lata pro dissolutione matrimonii transeat in rem judicatam.

1. Resp. primò: Sententia lata in causa dissolutionis matrimonii (intellige, non tantum ob impedimentum impotentia, sed etiam propter quodcumque aliud seu aliam causam) quantumcumque confirmata, vel etiam elapsus terminus ad appellandum, non transit in rem judicatam, sed retractanda, quoties compertum, ex errore processum esse. Covar. 4. decret. 2. part. c. 8. §. 12. nu. 12. Sanch. l. 7. d. 100. a. n. 1. Castrop. cit. §. 12. n. 7.

juxta quod deciditur c. lator. c. consanguinei. c. tenor. de sent. Et sic judicat. c. fraternitatis. b. t. Quin & Judicem ex officio etiam invita parte tenenti ad hujusmodi retractationem, cum illius sit peccata auferre & inconvenientia (qualia sunt matrimonium validum irritum declarare, & vi hujus declarationis conjuges revera non liberos reputare se liberos) evitare, docent Cardin. in c. lator. n. unic. Sanch. n. 3. Castrop. n. 7.

2. Resp. secundò: Tamen si non transeat in rem judicatam, ut non possit per viam querelæ contra eam allegari. Covar. Sanch. ll. cit. Castrop. n. 8. Suscipit tamen auctoritatem rei judicatæ, ne per appellationem possit corrigi aut impugnari, quin allegans contra ipsam suæ impugnationis causam verisimilem proponat, quam Judex prius summarie non citato adversario cognoscere debet, & eâ apparente verisimili, audiendus allegans, aliàs repellendus. AA. iidem. Porro querela nova audiri debet novo proposito libello, cum secundum priorem instantiam sententia transeat in rem judicatam, juxta c. ex literis. de integ. rest. Proponenda autem querela coram eo Judice, qui adiri potest per simplicem querelam, qui est ipse, coram quo prius causa matrimonialis acta fuit, aut agi poterat. AA. iidem.

3. Resp. tertid: Dicta sententia transit in rem judicatam quo ad expensas, in quas succumbens condemnatus fuit; quia ex firmitate hujus condemnationis nullum fovetur peccatum, quæ est ratio retractandi sententiam circa nullitatem matrimonii. Ita AA. citati. Ex quo etiam generaliter inferit Castrop. quod quoties observata sententiâ ex consensu utriusque conjugis peccatum cessat (ut contingit, cum his movetur lis circa valorem matrimonii ob impedimentum metus vel conditionis servilis ignoratæ) & hic, qui impedimentum allegavit, succumbit; quia pronuntiata sententiâ pro valore matrimonii legitimo tempore non appellavit, aut appellationem non est profectus; non potest contra latam sententiam insurgere; quia in hujus observatione nullum est peccatum.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

Quest. 258. Quid hic intelligatur per veritum seu interdictum Ecclesiæ, quam vim habeat, & quam obligationem pariat.

1. Resp. ad primum primò: Non venire hic nomine hujus impedimenti interdictum Ecclesiæ generaliter seu late sumptum, prout significat prohibitionem à SS. Canonibus factam, seu etiam prohibitionem quamlibet ecclesiasticam matrimonii, sic enim comprehendit impedimenta omnia etiam dirimentia (quale non est hoc) sed sumptum strictè seu specialiter pro prohibitione hic & nunc specialiter facta à superiore ecclesiastico ob causam legitimam interdicente matrimonium celebrare ad tempus, donec melius, dum fortè obijcit impedimentum, de habilitate contrahentium, cognoscatur, vel caveatur de scandalo inde nato, vel nascituro. Pro ut de hoc impedimento agitur c. sin. §. cum autem. de clandest.

despons. ubi Parochis præcipitur, ut, cum apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam contractis, interdicator expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Unde etiam patet, hoc impedimentum esse distinctum ab impedimento feriarum (de quo qu. seq.) quo non matrimonium, sed tantum ejus solemnitas interdicitur. Neque etiam venire interdictum ecclesiasticum, quod est censura & poena ecclesiastica, quæ quis à perceptione quorundam Sacramentorum à divinis officiis & sepultura ecclesiastica arceatur, cui interdicto subiectus cum alio, vel non, vel pariter interdicto, vel etiam loco interdicto, tamen si contrahat validè, secundum omnes, licet tamen contrahere negant Suar. d. 33. de censuris. f. 1. n. 5. Ponc. l. 6. de matr. c. 9. n. 4. eò quòd matrimonium non sit inter Sacramenta, quorum perceptio tempore vel loco interdicto permittitur. Affirmant è contra Covar. in c. alma mater. p. 2. §. 2. 7. Abb. in c. non est. de sponsal. Sanch. l. 7. d. 8. per tot. Henric. L. 13. a. 45. & alii.